

Franckesche Stiftungen zu Halle

Decanus Sacrae Facultatis Theologicae In Alma Et Perantiqva Electorali Universitate Erfurtensi Marianus Brockie, Scoto-Benedictinus, Exempto Monasterio ...

Brockie, Marianus

Erfordiae, [1723?]

VD18 13485660

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:obv:ha33-1-202867](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:obv:ha33-1-202867)



131 B. 3

131 B3

34.
33

DECANUS
SACRÆ FACULTATIS THEOLO-
GICÆ

IN ALMA ET PERANTIQUA ELECTORALI
UNIVERSITATE ERFURTENSI

MARIANUS
BROCKIE,

Scoto-Benedictinus, in Exempto Monaste-
rio S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ Professus, SS. Theo-
logiæ & Philosophiæ Doctor, earundemque Faculta-
tum Assessor Ordinarius, & Professor Publicus, nec non
Antiquissimi Monasterii Scotorum ad S. Jacobum
hic Erfurti Superior,

*Universis & singulis ejusdem Almæ Facultatis Proceri-
bus Salutem ab eo, qui est æterna Salus.*

ERFORDIÆ,
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

32



Verrissimum illud sapientissimi & Piissimi
 Jeremiae Prophetae effatum, dum divino
 afflatus Spiritu, admonet: *Interrogate, de
 semitis antiquis quae sit via bona, & ambulate in
 ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.*
 (Jerem. c. 6. v. 16.) Unde namque sapien-
 tia? Unde prudentia? nisi ab antiquis,
 nisi a Senioribus. Ubi doctrina sana, quæ
 non est cana? ubi sententia vera, quæ non est veterana? Omnis
 novitas semper venit suspecta, sed honoranda antiquitas nun-
 quam non retinet suam honestatem, suam veritatem. Ly-
 dius sanctioris doctrinae lapis Antiquitas est, Antiquitas, in-
 quam, veritatis, semper sibi similis, sapius oppugnata, semper
 probata. Aureum est dictum Antiquissimi Tertulliani: *Omnino
 res christiana sancta antiquitate stat, nec ruinosam rectius reparatur, quam
 si ad originem censeatur.* (lib. 1. contra Marc.) Semitis ergo anti-
 quis insistendum est, siue fidei dogmata consideres, siue mo-
 rum placita aspicias: *Non transgrediaris terminos antiquos, quos po-
 suerunt Patres tui.* (Proverb. cap. 22. v. 28.) O sancta Antiquitas!
 O sancta simplicitas! Illa etenim non ad proprii cerebelli
 pruritum, sed ad sanæ & canæ doctrinae trutinam cuncta sua
 dogmata ponderat & librat. Illa sententias catholicas a Chri-
 sto Apostolis traditas, & per illorum successores nobis com-
 municatas veneratur & colit. Nulla fides certa, nisi quæ per
 Apostolos a fontibus salvatoris ad hæc usque tempora pro-
 ma-

manavit. Et morum honestas non ad novi genii placitum, sed ad antiquorum Canonum, ipsiusque Evangelii regulam ponderanda. In omnibus igitur antiqua sanctorum Patrum observare debemus vestigia, qui plus traditionibus Apostolicis adhærebant, quam novitati studebant. Audi vincentium Lirinensem, more suo pulcherrimè, supra verba Apostoli ad Timotheum: *O Timothee depositum custodi, devicans profanas vocum novitates (1. Tim. c. 6. v. 20.)* ratiocinantem: *Quid est depositum? quod tibi redditum, non quod a te inventum est; quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrina, non usu passionis private, sed publicæ traditionis, rem ad te perductam, non a te portatam, in qua non Auctor esse debes, sed custos, non ducens, sed sequens.*

De traditionibus ergo Apostolicis breviter pro membrani hujus arctitudine acturi, prius explicandum venit, quid sint; deinde illas verbi divini auctoritatem habere asserendum. Quæ sanè omnia more Theologico ex sacris literis & sanctis Patribus perspicuè demonstrabimus. Traditio juxta etymon, vulgo accipitur pro re tradita, sic illa dogmata, quæ ab Apostolis spiritu sancto inspiratis non calamo, sed vivâ voce fuere propagata, traditionis Apostolicæ rationem habere debent. Non enim omnia fidei dogmata levi calamo sunt exarata, sed multa vivo sermone primitus prolata, & per continuam traditionem ad credendum Christianis proposita. Plurima ad fidem necessaria non scripserunt Apostoli, nec cuncta dicta & facta Redemptoris nostri, ad posteros per Scripturam tradi potuerunt; testante sanctissimo illo Apostolorum Aquila, Divo Joanne: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. (Joan. c. 21. v. 14.)* Hinc Gentium Apostolus Thessalonicenses admonet: *Itaque Fratres scite: & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. (Thess. c. 2. 14.)* Quæ quidem omnia, nihil aliud probant nisi quod vivo sermone Apostoli plurima ad fidem utilia, primævæ Ecclesiæ Patribus tradiderint, nec cuncta scitu necessaria calamo exarârunt. Hoc clarissimè demonstrat aureum illud Græciæ os, S. Chrysostomus, dum (hom. 4.) explicat verba S. Pauli a nobis allata: *Hinc, inquit, est perspicuum, quod non omnia*

tradiderunt Apostoli per Epistolam; sed multa etiam sine scriptis, & ea sunt quoque fide digna. Quamobrem Ecclesie quoque traditionem censemus esse fide dignam: est traditio, nihil queras amplius. Ratio autem in promptu est, cur Apostoli alia quidem scriptis, alia vivâ voce tradiderint. Imprimis sanctissimi illi novæ legis primarii Præcones, optimè prospiciebant sublimissima nostræ Religionis mysteria ab Ethnicis facile, imò a fidelium vulgo posse ire in contemptum, si cuncta calamo exararentur; quia sapius evenit, illa quæ sunt communia contemni & irrideri, præsertim ab ignorantibus, familiaritas enim parit contemptum. Neque Mysterii rationem habere potest, quod ad populares aures effertur, prout optimè infert Melchior Canus. (de locis Theol. lib. 3.) Dein habet nescio quid latentis energiae viva vox, & in aures discipuli de Auctoris ore transfusa fortius sonat, quemadmodum S. noster Hieronymus ad Paulinum scribit. Indignum ergo erat, ut tota Evangelii doctrina, quæ lex est spiritus & vitæ, mortuis ubique literis committeretur, cum de ea peculiariter scriptum sit: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. (Hierm. c. 30.) Unde Papias vetustissimus Auctor & Apostolorum temporibus vicinus, apud Eusebium (Hist. Eccles. lib. 3. c. 39) de seipso infert: Si quando advenisset aliquis ex iis, qui secuti sunt Apostolos, ab ipsis sedulo expiscabar, quid Andreas, quid Petrus dixerit, quid verò Jacobus, Joannes, Mattheus. Nec enim tantum mihi librorum lectiones prodesse credebam, quantum vivæ vocis præsentisque Magisterium. Prolixum jam esset sanctorum Patrum loca referre, quibus traditiones Apostolicas, cum Universim, tum sigillatim commendant. Hæc inveniri poterint in libris polemicis, ubi quidem Illustrissimi Fratres Valembergii pleraque collegerunt. Quod autem Traditiones Apostolicæ verbi divini Auctoritatem habere debeant, variis Sacræ Scripturæ locis & Unanimi Patrum consensu probari potest. Imprimis enim nihil ferè est, quod magis in scripturis commenderetur, quàm Traditio, sive quæstio agatur de fide, sive de moribus, sive de disciplina. Audiamus iterum Apostolum Corinthios admonentem: Laudo autem vos Fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Cetera cum venero, dispanam. (1. Cor. cap. 11.) Cum itaque præcepta

pta illa nusquam scripta occurrant, uti nec illa quæ se dispositurum promiserat, palam omnino est, sanctissimum Apostolum alia scripsisse præcepta, alia non scripta Corinthiis tradidisse. Simili quoque ratione Discipulum suum Timotheum exhortat: *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, &c. (2. Tim. c. 3.)* Et iterum (c. 2.) *Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu, & quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Quocirca Timotheus ea debuit commendare Fidelibus, quæ audierat ab Apostolo, & non solum quæ scripta acceperat, & quidem coram multis testibus, qui simul cum Timotheo testimoniiis suis confirmare poterant, quæ sibi erant tradita. In omnibus enim judiciis, ubi scripturæ deest testimonium, testibus fides habetur, oculatis equidem in rebus humanis, auritis verò in divinis: *Fides, namque ex auditu.* Testes autem, per quos verbum Dei non scriptum, quodque auditu percipitur, probamus, sunt Doctores Ecclesiæ, qui omni ævo idonei fuerunt & etiamnum sunt, alios docere, juxta scilicet testimonium & consuetudinem ipsius Ecclesiæ Catholicæ. Quem sanè modum orthodoxam defendendi fidem, semper in Ecclesia adhibuerunt sanctissimi & eruditissimi Patres. Sic Traditiones non scriptas S. Irenæus & Tertullianus Marcioni & Valentino Hæreticis, S. Epiphanius iis qui Melchisedech spiritum sanctum commenti fuerant, Vigilantio Hieronymus, Donatistis Augustinus & sancti omnes Adversariis opposuerunt, earumque vi & energiâ hæreses sui quisque temporis debellarunt. Unde, teste eodem Eusebio (*Hist. Eccl. lib. 3. c. 36.*) S. Ignatius eâ maxime ratione docet, hæreticorum vitari contagia, si diligentius & tenaciùs Apostolorum traditionibus inhæreatur. Tertullianus autem apertius adhuc monet, ut adversum hæreticos magis traditionibus quàm scripturis differamus, cum Scripturæ varios in sensus trahi queant, non item traditiones, quæ vivâ voce & vivis testibus veritatem demonstrant. Imò non solum Ecclesia Latina, verum & ipsi Græci olim & etiamnum nunc Traditiones Apostolicas tanquam verbum Dei non scriptum, & certissimam credendi regulam admittunt. Unde ab eo, qui ordinandus est Episcopus,

pus, Græcorum rituale (*apud P. Goar. p. 309.*) hanc professionem exigit: *Credo & traditiones & expositiones unius Catholica & Apostolica Ecclesia circa Deum & res divinas.* Hinc quicunque traditiones contempserint, ii semper ab Ecclesia ut hæretici sunt habiti; sic Magnum Orthodoxorum Lumen S. Augustinus (*hæres. 53.*) illos, qui Quadragesimæ jejunium ab Apostolis acceptum negabant, & qui Episcopos a Presbyteris non distinxerunt, inter hæreticos numeravit. Hæretici enim omnes, ab Ecclesiæ exordio, traditiones oderunt, &, teste S. Irenæo, (*lib. 1. c. 1.*) *Scripturis nituntur sua dogmata confirmare, ne sine teste esse videantur; sed deformant eloquia Dei, atque ex figura hominis, vulpis aut Ursi figuram reddunt.* Adeoque nec verbum Dei scriptum sine non scripto, nec Auctoritas Ecclesiæ absque traditionibus probari aut demonstrari poterit. Unde namque scripturam sacram, adeo in multis obscuram, adeo deficilem explicare queam? nisi accedat Patrum traditio, quæ illius textus, juxta eundem sensum orthodoxum semper explicavit. Omnis namque hæresis a scripturis originem suam sumpsit, dum quilibet, juxta suum male ordinatum cerebrum, illas explicare voluit. A traditionibus autem nullus error emanare potest, quia illud solum admittunt, quod semper & ubique in Ecclesia observatum fuit. Hinc admittendæ sunt traditiones tanquam primaria fidei regula, sine quibus, nec Auctoritas scripturæ, nec Religio christiana firma & inconcussa stare queat. Sic S. Epiphanius (*hæres. 61.*) optime declarat: *Oportet autem & traditione uti, non enim omnia a divina Scriptura possunt accipi.* Quapropter aliqua in scriptis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus: *Sicut tradidi vobis.* Et sane, si vetera lustrare liceat tempora, tunc clarè videbimus traditionem antiquiorem esse scripturam, ac proinde Religionem sine scriptura sartam tectam habere posse. Vetustissimi enim illi in lege naturæ primorum sæculorum Patres, ante Moysen fuere veri Dei cultores, & tamen sacrificiorum ritus, veraque de rebus divinis dogmata, non scriptis legibus, sed Majorum institutis & traditionibus observavere. Circumcisionem quoque a DEO primum acceptam, Abraham deinceps familiæ prodidit; & illius dein proles ejusmodi sacramen-

cramentum, non membranis aut tabulis insculptum, fed
mentibus consuetudine imbutis impressum conservavit; mul-
tisque annis in Ægypto citra ullam scriptam legem, unius
Dei veram fidem & Religionem tenuit. Si novam legem a-
spiciamus, constat omnino doctrinæ fidei jam vulgatæ scri-
ptionem Evangeliorum accessisse non præcessisse; ita quod
christiana Ecclesia & Religio non literis primum sed traditione
constiterit. Christus namque Dominus librum nullum scri-
psit, imò, quantum legimus, nec scribere quidem præcepit.
Euntes, ait, prædicate, non scribite; Evangelium omni creature.
(Marci c. ult.) Apostoli etiam prius vivâ voce Evangelium do-
cuerunt, quam mandârunt literis, prout scriptores omnes
Ecclesiastici testantur, imo hoc ipsum S. Lucas Evangelista
palàm manifestat sub sui Evangelii exordium: *Quoniam qui-*
dem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa sunt
rerum: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fue-
runt sermonis &c. Ne autem in apertis rebus multus Lectori
videar, omnino concludendum est, traditiones Apostolicas
habere auctoritatem verbi divini, imò sine ipsis nihil fir-
mum, nihil stabile in fide orthodoxa stare posse; Licet cum
ipsis, absque scriptura, Ecclesia Christiana suam obtineret au-
ctoritatem. Non enim omnes Apostoli dogmata sua scriptis
libris fulcierunt, prout de S. Andrea, Philippo, Bartholomæo,
Mathia & Barnaba, patet; & tamen illorum doctrina, quæ
vivâ tantum voce tradita fuit, æquè verbi divini obtinuit Au-
ctoritatem, ac si scripturâ & calamo exarassent. Hinc S. Ire-
næus (*lib. 3. c. 4.*) asserere non timuit: *Quod autem si neque A-*
postoli quidem scripturas reliquissent nobis, tamen & oportebat nos sequi
ordinem traditionis Ecclesiæ, quam fideles scilicet ante scriptum Evange-
lium sequebantur.

Hoc igitur de observandis traditionibus dogma ortho-
doxum, virginæ puritate hucusque coluit nostra peranti-
qua & verè catholica Facultas Theologica. Quæ inter tot
novorum dogmatum fluctus, semper stetit inconcussa, sem-
per intacta. Sub sanctissimi namque Patroni sui S. Hierony-
mi gloriosis auspiciis, sanam & canam a Patribus traditam
strictissimè observavit doctrinam. Verè depositum suum custodi-
vit

vit, devitans prophanas novitates; Probe conscia, veram doctrinam non in scripturis, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in verborum foliis, sed in radice rationis subsistere. Verè Aurea sanctorum Patrum deposita & commissa servavit, & purissima reddidit, firmissimè tenens quod antiquius erat traditum, quod nuper inventum gloriosè explodens. Verè *interrogavit de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulavit in ea;* Vestigiis S. Hieronymi aliorumque orthodoxorum Patrum inharens. Hinc supremo Numini, pro tanto patrocinio & superno multoperè præstito sacra nostra Facultati juvenamine debitas rependamus grates, impensè supplicantes, ut sicuti mediante S. Hieronymi fundatissimi Ecclesiæ Doctoris patrocinio, ipsam hucusque in sana & cana doctrina illibatam conservavit virginem, ita etiam & iisdem celestibus gratiis & favoribus, ad perennia sæcula protegere & clementissimè ab omni prava novitate defendere dignetur. Ad quam divinam gratiam impetrandam, Majorum vestigiis, laudabilique consuetudini inhærentes, cras sub tutela Divi Hieronymi, horâ nonâ matutinâ, in Basilica Mariana, per solenne sacrum Eucharisticum, publica gratitudinis officia præstabimus. Quibus sacrè peractis, in consueto conclavi, inspirante spiritu sancto, ad Neo-Decani electionem procedemus. Ad quem itaque duplicem actum omnes, quibus interesse competit, eâ, quâ par est, humanitate & respectu officiosissimè & amicissimè, publico hoc programme, invitantur, convocantur. Publicatum Erfurri, sub Almæ Facultatis Theologicæ Sigillo, die 29. Septembris, Anno O. R. 1723.



131 B 3

1018

